

6. 11.
429,
31.

II c
1128

A. X. Ω.

DISSERTATIO PHILOLOGICO-HISTORICA,
De

VETERUM
ZONA PECU-
NIARIA,

X/85 9890

Quam

Benevolo

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
indultu,

in

Illustri Salana

publica disquisitioni submittere

PRÆSES

M. JOHANNES NICOLAUS Schost/
Königsfeensis, Alumnus Schwarzburgicus,

et

RESPONDENS

JOHANNES CHRISTIANUS Gerhard/
Jenensis Phil. Stud.

in

Auditorio Philosophorum,

ad diem. Novembris Anno c^o I^oc LXXXI.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

TYPIS GOLLNERIANIS,

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

15





Σὺν Θεῷ.

Profectò mirari subeat, quosdam
lectionem scriptorum Gentilium
à Christiano, in primis verò Theo-
logiæ studioso prorsus alienam
voluisse; atque id ipsum tanti ha-
bitum, ut etiam ipsi juri Canonico insertum
legamus. Siquidem part. I. Decret. dist.
XXXVII. scribitur: *Sed quaeritur, an secularibus lite-
ris oporteat eos (intelligit verò Christianos & praecipuè in-
tereos Clericos) esse eruditos? De his ita scribitur in Conci-
lio Carthaginensi IV. cap. XVI. Episcopus Gentilium libros non le-
gat: haereticorum autem pro necessitate aut tempore.*
Etenim non ignotum est, quantum ipsorum
lectio praestiterit usum Cypriano Doctore
suavissimo & martyri beatissimo, quantum
Lactantio lacteae latinitatis Scriptori sacro,
quantum Victorino, Optato, Hilario; atque
etiamnum ad solidam eruditionem adspiran-
tibus quantum conducat. Imò si vel maxi-
mè hæc lectio in pluribus aliis studiis (quod
minimè tamen concedimus) suam se utilitate
non commendaret, Theologiæ tamen studio-
so maximè necessariam esse vix quispiam infi-

A 2

cia-

1298
ciabitur. Certò enim certius est, futurum S.
Scripturæ tractatorem, nisi variorum rituum
& morum notitiam habeat, haud feliciter suo
officio fungi posse. Verùm unde hæc melius
expectari poterit, quam ex ipsa variorum
Gentilium Scriptorum inspectione assiduâq;
lectione? Id quod inter alia ex Matt. X, 9. fa-
tis superque apparet; ubi Christus discipulos
suos ita alloquitur: Μη κτήσηθε χρυσόν μηδὲ ἀρ-
γυρον, μηδὲ χαλκὸν εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν, h. e. ne possideatis
aurum neque argentum neque æs in zonis vestris; eòque
ad certum aliquem ritum digitum intendere
videtur. Quantum itaque Scriptorum lectio
præstet, patebit, dum in ^{ritum} illum, nempe
^{pecuniam in Zonis gestandi} paulò penitiùs inqvi-
mus; quod ut felix faustumque sit, Deum pre-
cibus imploramus ardentissimis

§. I.

Priusquam verò ad hanc consuetudinem inda-
gandam, ipsamque Zonam pecuniariam acce-
damus, non parùm nos juverit, de Zona in ge-
nere aliquid dixisse. Est igitur vi originis suæ
Zona vocabulum Græcum, ac Græcè dicitur
Ζώνη, idque à Ζωνύω, quemadmodum cingu-
lum à cingo derivatur: Ζωνύω verò ἀπὸ τῆς ζῆν, vivere Au-
tor Etymologici deducit, cuius rationem addens, ἐπειδὴ ἰν-
quit, κατ' ἐκεῖνον ἴσον τόπον ζωνύμεθα, ἐν ᾧ ἴσται τῆ σάμα-
τὸ θερμόν, ἢ καρδία, circa illum locum cingimur, ubi est
corporis calor aut cor.

§. II. Sustinet autem Zona varios significatus, &
pri-

1299

primum quidem notat juxta laudatum Auctorem Etymologi-
gici, corporis partem, qui ita inquit: Ζώνη τῷ σώματι
μέγῃ παρὰ τῷ ζῷ, ἐν ᾧ μάλιστα ἔστι τῆς ζωῆς ὄργανον ζωϊκόν.
Zona corporis pars est à ζῷ, vivo, ubi maxime vitale est anima-
lis. Quoniam itaque hæc pars præ cæteris circumdatur cin-
gulo, hoc Zona inde dici consuevit. Ex communi igitur
loquendi usu Zona nihil aliud est, quam cingulum quod corpus
ambit atque cingit.

§. III. Postmodum Zone vox transfertur ad spa-
tium illud inter duos proximos minores æquè distantes cir-
culos comprehensum, quod cinguli instar ambit globum
terrenum. Atque ejusmodi Zone quinque numerantur,
torrida; temperata, quæ vel meridionalis; vel septentrio-
nalis; & frigida, quæ itidem vel australis; vel borealis. De
quibus videri possunt, Eratosthenis versus in Antonii Delrii
Comment. in Hercul. Octavium. Virgilius l. Georg. 231. Ovidius
l. Metam. fab. 2. Suidas in voce ζώνη, & alii plures.

§. IV. Porro nomine Zone etiam insignitur mor-
bi genus, quod medium quodammodo cingat hominem,
quemadmodum Vossius in Lexico Etymologico testatur &
in hanc rem laudat Scribonium Largum cap. LXIII. ita scri-
bentem: Facit hoc medicamentum ad carbunculos & ad ignem
sacrum, & ad Zonam, quam Greci ἐπετα dicunt. Quò faciunt,
quæ in M. Ant. Delrio Comment. in Oedipum dicuntur;
Sacer ignis in hominibus Zoster vel Zona, in gregibus, pulula voca-
tur, teste Columella l. 7. de rerustica cap. 1.

§. V. Interdum idem quod potestas & dignitas si-
gnificat, uti Suidas testatur, qui ζώνη, ait, ἀξίωμα ἀναζητη-
μίδος τῆς βασιλίδος ἐξωθεν ἔσθαι & μόνον ἰδιώτας, ἀλλὰ καὶ
τῆς ζωῆς ζώνη &c. Zona, dignitas, quæ quis ut zonam cin-
gitur & ornatur; vel potestas, quæ quis tanquam zonam cingitur &
coërcetur. Ut, accuratè quæsitos ex regia pelli non solum priva-
tos: sed etiam sub zona, i.e. sub potestate positos, potestati subiectos,
subditos. Et testatur Barthius Adversariorum Comment. lib.
IX. cap. XI. Zonam sive cingulum, ævo Christianorum Impera-
corum

torum pro honore militari sumi consuevissent: siquidem insignibus baltheis gladios suos gestabant, qui castra sequebantur. Unde orta videtur locutio: *projicere cingulum*; quâ nihil aliud significatur, quàm ultrò honores militares sive his æquivalentes exuere. Hinc quoque *zonâ privari* olim erat dignitate exui & *privatio zone* maximas inter pœnas numerabatur. Quod videre licet ex Novellis Constitutionibus, ubi Justinianus de pœnâ damnatas nuptias contrahenti infligendâ ait: *Sit ei pœna, non confiscatio solum, sed etiam cinguli privatio & exilium.*

§. VI. Deinceps Zona tropicè pro facultate sumitur, ἐπειδὴ ὁ ἐζωσμένῳ εἰσαλλεσερός ἐστὶ πρὸς πράξιν, quia cinctus est ad rem gerendam expeditior, uti Suidas addit. Hinc permultæ oriuntur in sacris literis phrasæ, quibus expediti, parati & fortes describuntur, quæ de re videri potest Flacius in *Clave S. Script.* Sic quoque Horatius l. I. Sat. V. ait:

*Hoc iter ignavi divisimus, aliis ac nos
præcinctis unum, i. e. expeditis viatoribus.*

Atque huc pertinet, quod Zona sæpius ὀπλιτῶν sive πολεμικὴν ὀπλισιν, h. e. *armaturam bellicam*; & ζώνουθαι, idem, quod *armari* apud scriptores significant; quemadmodum etiam ζώσαθαι, ἐκδύνασθαι τὰ ὄπλα notasse Autor est Cœlius Rhod. l. XXII. c. XIX. Et quoniam inde *cincti, accincti*, pro viris forti pectore & strenuis reperiuntur, è contrario *discincti*, militiæ inhabiles, molles & ignavi vocantur, ut apud Virg. IIX. Æn.

distinctos mulciber Afros;

ubi Servius notat distinctos esse idem atque inhabiles militiæ: omnes enim cinctos esse qui militant. Et Ovid. lib. Am. I. Eleg. IX.

distinctaque in otia natus;

quæ sumpta esse Bersmannus annotat, vel à consuetudine Romanorum, quibus turpe erat in publicum prodire discinctos, & esse idem atque dissoluta, mollia, ignava vel à consuetudine militari, quæ ituri in militiam cingebantur, ut ad pu-

pugnam essent expeditiores distinctaq; sic idem esse ac pata-
cata.

§. VII. Tandem etiam nomen *Zonæ* sortiebatur
Ha regio, quam uxoribus suis Reges Persarum & Ægyptiorum
in Cinguli ornatum dare consueverant. Certum enim
est, Reginas Persarum & Ægyptiorum suprâ modum φιλο-
κόσμησιν fuisse, ut Ælianus l. XII. var. hist. c. I. scribit. Hinc cer-
tas ipsis attribuebant civitates ac regiones, ut ex earum re-
ditu sibi compararent mundum, teste Cicerone Orat. II. lib. III. in Verrem, cujus verba hæc sunt: Solere ajunt barba-
ros Reges Persarum ac Syrorum plures uxores habere: his autem
uxoribus civitates attribuere hoc modo: hæc civitas mulieri redi-
miculum præbeat: hæc in collum, hæc in crines. Ita populos ha-
bent universos, non solum conscios libidinis suæ, verum etiam ad-
ministratos. Cujus rei veritas haud obscurè patet ex Platone,
apud quem Socrates in Alcibiade I. ita inquit: Επεὶ ποτὶ
ἐγὼ ἤκουσα ἀνδρῶν ἀξιολύτων τῶν ἀναβελήκων παρὰ βα-
σιλέα, ὃς ἔφη παρελθεῖν χώραν πάνυ πολλὴν καὶ ἀγαθὴν
ἐγὼς ἡμερησίαν ὁδὸν, ἣν καλεῖν τὰς ἐπιχωρίας, ζώνην τῆς
βασιλέως γυναικός. Εἶναι δὲ καὶ ἄλλην, ἣν ἀν καλεῖσθαι
καλύπτραν καὶ ἄλλας πολλὰς ὄψεις καλὰς καὶ ἀγαθὰς εἰς τὸν
κόσμον ἐξημερεύσας, τὴν τῆς γυναικός καὶ ὀνόματα ἔχειν
ἐκάστης τῶν τόπων ἀπὸ ἐκάστης τῶν κόσμων, h. e. Retuli no-
bis vir quidam gravis, unus eorum, qui ad Persarum Regem pro-
fecti erant, se quandoque integrum penè diem latam ac fertilem
peragrassè provinciam, quam incolæ uxoris regis zonam appella-
runt: esse quoque aliam nomine Calyptram atque ita multas alias
regiones pulchras ac fertiles a latam regine solius pertinere, no-
minaque singulis locis à singulis ornamentis imposita esse. Qua
de re etiam Athenæus lib. I. de Antylla urbe, ἥς, ait, τὰς
χώρας οἱ ἔτε βασιλεῖς Αἰγύπτιοι καὶ πέρσαι ταῖς γαμεταῖς
εἰδίδουσαν εἰς τὰς ζώνας.

§. IX. Sepositâ itaq; ambiguitate vocabuli ζώνης usita-
tiori significatui nos inhærere, & id, quo corpus certo modo
cin-

cingimus & adstringimus, intelligere haud obscurum est. Proinde proximum erit, in *zone pecuniaria* ut inquiramus originem. Et sanè quod ad Zonas in genere attinet iisdem prima quasi futura in Paradiso accessisse videtur: siquidem de Adamo atque Eva refert Codex sacer, quod post lapsum oculis eorum apertis, h. e. jam inordinato libidinis sensu gliscente, folia ficus consuerint ויעשו להם חגורה & sibi cingula fecerint. Quomodo verò ex foliis sibi Zonas sive cingula conficere potuerint, id explicari scopus noster non patitur: interim tamen non incommo- dum fuerit, saltem ea adduxisse, quæ hac de re Alph. To- status in *Gen. III.* scribit: *Dico, quod facile erat consuere folia in aliquo ramo arboris, sicut in uno vimine fecerunt sibi perizo- mata, i. e. subcinctoria, scil. quosdam amictus de foliis, qui pen- debant de loco lumborum usque infra partes genitales.* Deinde tum pudore, tum etiam necessitate ducti Posterii varios in- ordines distincti multiplicem & variam vestitus formam ex- cogitarunt, donec tandem necessitas in ostentationem & lu- xum degeneraverit. Quoniam verò olim nondum tam strictas omnesque artus exprimentes vestes inertia tempo- rum efformaverat, sed homines paulò longioribus & flui- tantibus tunicis se involuebant, omninò Zonas necesse ha- bebant, ut vel laxiora ad corpus adstringerentur vestimen- ta, vel longiora succingerentur, atque hoc modo corpora ad res gerendas promptiora & expeditiora redderentur: Zo- nis enim vires quasi uniuntur & constringuntur. Imò sunt etiam hodiè gentes imprimis Orientales, quæ ejusmodi ve- stimentis laxioribus & ad pedes fasis, quæque Zonis indi- gent, incedunt. Quoniam igitur vix ulla pars tam ad re- condendam tutiusque conservandam, quam ad faciliùs depromendam pecuniam zonas accommodatior erat: quip- pe olim nullas braccas vel peras, quemadmodum hodiè, gestatas esse testatur Ferrarius, *lib. III. cap. VII. de re vestia- ria*; usus obtinuit apud plurimas gentes, ut in illis pecu- niam recondere & easdem instar ἀργυροθήκων usurpa- rent.

S, IX.

§. IX. Equidem accuratè definire certum tempus, quò ritus hic cœperit; aut gentem, quæ eundem primum exercuerit, maximè difficile fatemur; neque hoc etiam noster scopus exigit: hinc comprobasse nobis suffecerit, ritus hujus & multos scriptores diversarum Gentium & satis antiquos mentionem fecisse.

§. X. Simonides scriptor ex Veteribus haud postremus, satis manifestum nobis exhibet hac de re testimonium in *Anthologia lib. VII. epigr. XII.* ita scribens:

Ἐμ πορε καὶ φορταγε, ὅ σὺν βαλάντινοῖδεσσι

καὶ πόθεν αἱ ζώναι, καὶ πόθεν οἱ πίνακες.

Mercator & nauta, tua crimina novit,

& unde hæ zona, & unde hæ tabella.

Rem liquidiùs exprimit Suidas in voce *ζώνη* τὸ ἐξ Ἰλιακοῦ referens: λέγειν χρυσοῦ ποσὸν ἐν Μεγάρῳ καὶ ταχθῆναι Ἰνᾷ, χρυσοῖς ζώνην ἐπαγόμενον πεπληρωμένον &c. Chrysippum dicere, quendam Megaris delatum, qui Zonam auri plenam secum attulerat, eumque, cum ad hospitium serò divertisset à caupone aurum cognoscente & inhiante interfectum fuisse.

§. XI. Atque id propter factum esse putamus, ut Græci crumenas pro Zonis usurpaverint, quemadmodum videre est apud Plutarchum in *Graccho*, qui Zonam pecuniariam expressurus utitur voce, *βαλάντιον*, quæ crumenam sive marsupium notat. Sic enim Gracchum loquentem introducit: Μόνος δὲ τῶν στρατευσαμένων πλῆρες ὁ βαλάντιον εἶσεν ἢν οὐκ ἔστι, κενὸν εἶσεν ἢν οὐκ ἔστι, τὰς δὲ ἄλλας ἐκπίονταί, ὅν εἰσίνεγκαν οἶνον, ἀργύρου καὶ χρυσοῦ καὶ δὲ ἑστέρας ἀμφορέας ἠκεῖν κομίζοντας, solum se ex militibus zonam quam in provinciam plenam intulisset, exportasse inanem: ceteros exhausto quod importaverant vino, auro & argento domum plenas amphoras retulisse. Id quod clariùs patet ex A. Gellio *Noct. Att. lib. XV. cap. XII.* qui, C. Gracchus, ait, cum ex Sardinia rediit, in oratione ad populum habitâ, itaque, inquit, Quirites! cum Romanam profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex pro-

B

vin-

vincia inanes reruli : alii vini amphoras, quas plenas tulerunt, eas argento plenas domum exportaverunt. Et quibusdam interjectis Gellius addit : notum esse, milites olim in bellum ituros pecuniam in zonis gestasse. Imò ipse Plutarchus aliis in locis hujus ritus mentionem faciens clarioribus verbis in Lucullo scribit : οἱ δὲ ἀγοντες ἀποδίμμοι πεντακοσίῃς χρυσῶς ὑποζωσμένον ἀπέκτειναν, cum sensissent, qui eum ducebant, aureis quingentis succinctum, interfecerunt. Idemque in Demetrio scribit : Εἰ τὰ μὲν τοῖ Σωσιγένης ἐπῆλθεν ἑταίρους αὐτῶ χρυσῶς τετρακοσίῃς ὑποζωσμένους, quod Sofigenes aureos nummos 400. habuerit in cingulo.

§. XII. Quod ad Scriptores attinet Latinos, eorum penè antiquissimi hujus meminere consuetudinis: Sic enim Plautus in *Pæn. Act. II. sc. II. vers. 48.* inquit : Tu, qui zonam non habes, qui in hanc venisti urbem? Quibus verbis in primis respicere videtur pecuniam in zona gestari solitam, sine quâ in urbe sumtuosa vix copia vivendi datur, aut minimùm non satis commodè ibi commorari licet. Atque in *Mercat. Act. V. sc. II. v. 84.* Charinus ab Eutycho verba sibi dari putans, quasi iter inceptum perfecturus esset, dicit : Zonam sustuli, jam machera est in manu, tollo ampullam atque hinc eo. Quem ad locum Taubmannus ita inquit : Condebant autem viatores in zona pecuniam, ut & milites. Unde in *Trin. Act. IV. sc. II.* zonarius sector idem est atque Aristophani βαλανιοτόμος, crumenifeca.

§. XIII. Nec obscurius antiquitatis hujus ritus indicium esse potest locus Livii lib. XXX. *historia Rom.* Nam cum recensuit, à Zeusippo & Pisistrato Romanæ societatis Autoribus Brachyllâ Philippi Regis fautore occiso, quod illis præteritis Bœotarcha factus fuerat, Bœotas ad execrabile odium Romanorum, & cum ad rebellandum neque vires neque ducem haberent, in latrocinium versos fuisse; adjicit : Postremò non tantùm odio, sed etiam aviditate præde ea facinora fecisse : quia negotiandi causâ argentum in zonis habentes in comitatibus erant. Quo ex loco sanè manifestè per-
spi.

1305
spici potest ex Romanis quosdam tum gestasse in zonis pecuniam. Ad quam consuetudinem etiam respicit Horatius quando in lib. II. ep. II. inquit:

*Posthac ille catus, quantumvis rusticus ibit,
ibit eò, quo vis, qui zonam perdidit, inquit.*

Ubi, quid zonam perdere sit? bene explicant Commentatores; nempe, dici de eo, qui perdidit viaticum, quod in zona milites portare solebant. Et Erasmus in Adagiis testatur, Castrense esse proverbium in ἀχρημάτους, i. e. qui nihil habent nummorum. Porphyrius proverbium hoc dicit à militum consuetudine tractum, qui quicquid habent, in zona secum portant.

§. XIV. Sufficere possent, quæ adduximus, testimonia, ne tamen pluribus destituti videamur, quæ prætereà ex Scriptoribus excerpimus, porrò adducemus, non dubitantes, quin ex diligenti illorum lectione præsens numerus longè pluribus augeri possit. Et quidem hanc ipsam consuetudinem intendere videtur Juven. Sat. XIV. v. 295. quando scribit:

*Æstivum tonat, infelix ac forsitan ipsa
nocte cadit fractis trabibus fluctuq; premetur
obrutus, & zonam leva morsuq; tenebit.*

Ubi annotat Jo. Britannicus, non sine ratione dici: *Zonam teneri, nam priscis temporibus auro monetali zone ornabantur, ita ut magni essent pretii.* Svetonius in Vitellio cap. XVI. refert: Cum descivisset ab Imperatore exercitus Mœsiarum atque Pannoniæ, item ex transmarinis Judaicus & Syriacus, & pars in absentis, pars in præsentis Vespasiani verba jurasset, atque hostem appropinquare per exploratores nuntiatum esset, continuo abstrusum gestatoriâ fellâ, duobus solis comitibus, pistore & coquo Aventinum & paternam domum petiisse: sed mox levi rumore & incerto, tanquam pax impetrata esset, referri se in palatium passum esse; ubi cum deserta omnia reperisset, dilabentibus etiam, qui simul erant, *zona se aureorum plena circumdedisse*, confugisseque in cellulam Janitoris, religato pro foribus cape, lectoque &

B 2 cul-

culcitram objectis. Accedit Apulejus *lib. VII. Metam. p. 190.* ubi dicitur: Savientem invidiam virum aliquem multis officii in aula Caesaris clarum atque perspicuum extorrem projecisse: sed uxorem ejus Plotinam raræ fidei atque singularis pudicitiaefœminam, quæ decimo partus stipendio viri familiam fundaverat, spretis atque contemptis urbicæ luxuriæ deliciis, fugientis Comitem & infortunii sociam, tonso capillo, in masculinam faciem reformato habitu, pretiosissimis moniliis & auro monetali zonis refertis incinctam, inter ipsas custodientium militum manus & gladios nudos intrepidam cunctorum periculorum participem & pro mariti salute pervigilem curam & ærumnas assiduas in genio masculino sustinuisse. Unde etiam Irenæus adversus hæreses *lib. IV. cap. XLIX. Ex alienis laboribus insigne aurum & argentum & aramentum cum inscriptione & imagine Caesaris in zona suis ferentes justè se facere dicunt.*

§. XV. Nec parùm ad hanc ritum illustrandum facit, quod Ælius Spartianus in Pescennio Nigro scribit: *Ile, Pescennius Niger, jussit, ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, sed publicè commenderent, recepturi post prælia quod dederant.* Addit: liberi, eorum & uxoribus & heredibus certè reddendum, qui venissent, ne ad hostes aliquid prædæ perveniret, si quid fortè adversi fortuna fecisset. Ubi sanè mentem Pescennii non fuisse quisque videt, ac si vetuisset zonam ad bellum portare: nolebat enim ipse, ut essent discincti milites: Verùm ne aureos vel argenteos in zonis suis gestarent nummos. Hinc eos in zonis fuisse militibus pro explorato habet. Quò etiam respicit Petronius, quando in Satyrico ait: *miles præcingitur auro.* Ubi Georg. Erhardus in *Symbolis suis* monet: *Eleganter hæc dici, quia in zona res pretiosæ & aurum & argentum; atque inde Egesippum lib. V. c. 24. milites auro & argento succinctos dixisse.* Cum quo consentit Josephus Antonius Gonsalvus de Salas in eundem locum, qui, *rectè auro, inquit, nam in zonis pecuniam gestabant milites.*

§. XVI. Inde sine dubio mos ille militum zonas pecu-

pecuniarias deponendi originem traxit : nam militari disciplina traditum erat, ut stipendium aut aliunde paratam pecuniam, quæ unicuique superesset, ante pugnam apud signa in sarcinulis deponerent, eamque Imperatores juxta signa servari mandarent. Quod ideò constitutum ferunt, ut milites non modo Patriæ & Larium, sed suarum quoque fortunarum defensores paratiores, proptereaque fortiores forent ; quemadmodum testatur Alex. ab Alex. *Gen. Dierum l. IV. c. II.* Huc pertinet quod Ælius Lampridius in Alexandro Severo scribit : *Miles non timet nisi vestitus, armatus, calceatus, satur & habens aliquid in zona, idcirco, quod mendicitas militaris ad omnem desperationem armatum vocet.* Ritus nostri mentionem quoque facit Vopiscus in Aureliano, ubi recenset has leges ab Aureliano latis : arma terga sint, ferramenta sumiata, calceamenta fortia, vestis nova vestem veterem excludat, *stipendium in baltheo non in popina gestet.* Et Paulinus ad Severum scribens *ep. I.* Curres & non lassaberis : ambulabis, & non deficies : non te virga, non pera, non sacculus prægravabit : non calceamenta, nec duplex vestis impediet : sed exutos carnalibus vinculis ut in terra sancta liceat stare, vestigio, *lumbisque præcinctis, nullo ere gravi zona,* festinanter (ut Pascha Domini & opus Christi in tempore collecto gerendum est) viam tuam curres.

§. XVII. Cum itaque, ut opinamur, satis superque probavimus, certè ejusmodi fuisse consuetudinem, quæritur porrò, *quinam pecuniam in zonis gestare consueverint ?* Hoc ut rectius cognoscatur, dispiciendum est, *ecquidnam zoni se præcingere soliti fuerint ?* Ex Scriptoribus verò certum est omnes ferè gentes usurpasse zonas ; atque ex illis non viros tantum, sed etiam fœminas. Et primum quidem ad fœminas quod attinet, notum est, apud Græcos, Latinos & Hebræos zonam virginitatis fuisse symbolum : siquidem olim Græcis puellæ nubiles & viripotentes ob id βαδύζωναι dicebantur, ut apud Pind. *Od. III.* *συνβαδύζωνες ἰδύμοις παῖσι λήδας & Isthm. VI.* βαδύζωνοι κέρας dicuntur puellæ eleganter cinctæ. Unde etiam ge-



nus loquendi, *solvere zonam*, suam traxit originem, quo utitur Homerus *Od. λ. vers. 44. λῦσε δὲ παρθεῖν ζώνην, κτ' δ' ὕπνον ἔχευεν*, solvit autem virginalem zonam, somnumque super infundit. Atque olim consuetudo erat, ut nova nupta cingeretur cingulo ex lana ovilla facta in futuræ concordiæ & conjunctionis augurium, & sicut lana in glomos sublata, conjuncta inter se est, sic vir suus secum vincit cinctusque esset. Hoc postmodum Herculaneo nodo constriatum in mariti cubiculo ominus gratiâ solvebatur, ut scilicet in suscipiendis liberis felicitate Herculem æqvaret maritus, Conf. Fest. in voce cingulo. Zonam hanc deinceps solutam Junoni, cujus nomen in nuptiis sanctum erat, teste Festo, in honorem dedicabant, quæ propterea Cinxia dicebatur, cujus mentionem facit Arnobius *lib. III. advers. gentes: Unxionibus superest Unxia Cingulorum Cinxia replicationi; vel ut Stewichio videtur, explicationi.* Unde Martianus Capella *de nuptiis Philolog. lib. II.* Sponsam Junoni loquentem introducit: Fluvoniam Februalemque ac Februam mihi poscere non est necesse, cum nihil contagionis corporeæ sexu intemerata pertulerim. Interducam & Domiducam Unxiam, Cinxiam, mortales puellæ debent in nuptias convocare, ut earum itinera protegas; & in optatas domos ducas; & cum postes unguent faustum omen adfigas & *cingulum ponentes in thalamo, non relinquas.* Vid. hac de consuetudine porro *Stuckius Antiquitatum Convivalium lib. II. cap. XIX. Antonius Thysius & Jacobus Oiselius in A. Gell.*

§. XIX. Aliter quoque Zona dicebatur solvi cum foemina primùm parerent eaque de causa levata partu mulieres Zonam Dianæ consecrabant, quæ propterea *λυσίχων* seu solvizonia appellabatur: Unde Fani in honorem Dianæ hujus *λυσίχων* Athenis extracti Hesychius meminit. Atque hanc parturientes invocabant nomine Junonis Lucinæ: Junonem quidem vocantes à juvando; Lucinam verò, quod partum in lucem proferre putaretur. Hinc Theocritus *Idyll. XVII.*

Ενθα γὰρ εἰληθῦσαν εἰβάσατο λυσίχωνον,

hic

hic ubi Lucinam vocitabat Lysizonam.

1309

Imò etiam cinguli sive zonæ Mariæ θεοτόκος fit mentio; quemadmodum Meursius in Glossario ex quodam Menologio certa festa depositionis sacrarum vestium & Zonæ beatæ Deiparæ καθέσια dicta refert. De Illyriorum Mulieribus scribit Athenæus lib. XX. cap. X. ζώνην τε, τὰς κοιλίας, ζώνης πλατείας, ὅταν πίνωσι καὶ τὸ μὲν πρῶτον μέτρια ποιῶσιν, ἐπιδὼν δὲ σφοδρότερον πίνωσι, μᾶλλον αἰεὶ σωμαίγχοι ἢ ζώνη, quando bibunt, latis zonis ventrem præcingunt, quas initio mediocriter, postquam autem validius biberunt, magis semper cogunt, arctiusque constringunt.

§. XIX. Quod verò viri Zonis se cinxerint, nullum est dubium: ac testatur Strabo lib. IV. Geograph. Gallos olim cavere solitos, ne obesi fierent & ventrosi, punireque juvenem, certam Zonæ mensuram excedentem; verba ejus sunt: Ἴδων δὲ καὶ τῶν: ἀσκεῖν γὰρ αὐτὰς, μὴ παχεῖς εἶναι μηδὲ προγαίφορας τὸν δὲ ὑπερβαλλόμενον τῆς νέων τῆς ζώνης μέτρον ζημιᾶσαι. Neque à solis militibus olim usurpabatur, sed à multis quoque aliis. Et in genere quidem iter facientes plerumque erant præcincti, ne sibi vestimenta longiora impedimento forent. Hinc quoque Mercurius succinctus depingitur à Marciano Capella lib. I. de Nupt. utpote Deorum nuntius & semper quasi ad iter paratus. Sic etiam Deus præcipiebat, ut Israëlitarum agnum Paschalem in memoriam exitus ex Ægypto comedentium lumbi essent accincti Exod. XII. v. II.

§. XX. Deinde quoque ex multis Scriptoribus patet, Ethnicorum Popas seu sacrificulos ad vestimenta sua cingenda adhibuisse Zonas. Et quem tandem nostrum latere potest illa Sacerdotalis Zona Exod. XXIIII. vers. 4. de qua Hieronymus Stridonensis de vestitu Sacerdotum ad Fabio-lam: Tertium genus est vestimenti, quo d illi appellant **υζων**, nos cingulum, vel balthum, vel zonam possumus dicere. Hoc cingulum in similitudinem pellis volubri, qua exiit senectutem, sic in rotundum textum est, ut marsupium longius putes. Textum au-

tem

tem est, sub tegmine cocci purpure, hyacinthi & flamine byssino, ob decorem & fortitudinem, atque ita polymita arte distinctum, ut diversos flores & gemmas artificis manu non textas, sed additas arbitraris. Linteam tunicam inter umbilicum & pectus hoc stringunt baltheo, qui quatuor digitorum habens latitudinem, & ex una parte ad crura dependens, cum ad sacrificia cursu & expeditione opus est, in levum humerum retorquetur. Nec ignotæ sunt Prophetarum Zonæ, quibus illorum renes & lumbi præcincti erant; inter quas maximè celebris est Johannis Baptistæ *Mat. III. v. 4.* quæ non pretiosa & bullis aureis insignita: sed aliena à molitie, deliciis & splendore: non tamen ex cruda pilosaque pelle: verùm prout genus vivendi, consuetudo gentis & togarum fluxarum ratio exigebat, locoque ubi docebat erat accommoda; à Matthæo dicitur *δερασίμη*, pellicea. Qua de re prolixè egit Frid. Spanhemius in *Dubis Evang. Dub. 98. de amictu Johannis.* Sic quoque Paulum Zonam usum fuisse colligimus ex *Act. XXI. v. 11.* ubi Agabus vaticinabatur de Paulo: *Ἰὼν ἀνδρα, ἔστιν ἡζώμη αὐτῆ, ἕτω δῆσθαι ἐν Ἱερουσαλήμ οἱ Ἰσραῖοι.* Quin imò Jo. Jac. Chiffletius de *linteis sepulchralibus Christi.* testatur, Christum quoque Zonam usurpasse. Ut taceamus & Chirurgos olim suo more succinctos fuisse; quemadmodum perspicere licet ex *Virg. lib. XII. Æn.* descripturo Japidem vulneratum Æneam curaturum, quem *amictu succinctum* dicit. Nec multa dicemus de Zonis venatorum, quibus utebantur, ut tantò agiliùs per obliqua montium devexa & spinetis asperrimis repleta vagari possent. Hinc Diana in venando fingitur succincta. & apud M. Minucium Felicem in Octavio dicitur *Diana altè & succincta venatrix.* Nec aliter Venus ab Ovidio *lib. X. Metam.* ubi Adonidis venatoris Comes est, describitur:

*Per juga, per sylvas, dumos & saxa vagatur,
nuda genu, vestem riu succincta Diane,
hortaturque canes.*

§. XXI. Cum igitur prolixè probaverimus homines & sexu & nationibus & ordinibus distinctos Zonas usur-

137.

usurpasse, inde quidem minimè necessariò sequi arbitramur, eosdem etiam omnes in Zonis pecuniam gestasse: siquidem negari nequit, Zonis usos fuisse, partim ut magis juncea fierent & speciosiora viderentur corpora; (cincta enim distinctis formosiora putabant) partim, ut ad sua facienda redderentur expeditiores; partim ut de iisdem gladii suspenderentur; quandoque etiam solius ornatus gratiã gestabant. Unde Arrianus duo Zonarum genera in *Periplo Maris Erythraei* commemorat, nimirum *σκιώδεις*, umbratiles sive obscuras, & *πολυμίχας παχυαίας*, cubitales ex multis filis contextas. Atque olim maximam in cingulis curam fuisse testatur Barthius in *Advers. Comment. lib. II. c. I.* adeò, ut qui alioquin nulli omninò cultui studebant, cingula tamen ornatiores haberent. Veruntamen non improbabile credimus, apud omnes illos, qui Zonis fuere cincti, cujuscunque etiam sexus, conditionis & ordinis fuerint, ritum illum pecuniam in Zonis circumferendi fuisse, receptum. Neque tamen semper & singulis id in more positum putamus, cum vel tempus, vel aliã circumstantiã rem ipsam potuerint variare. Ut adeò non viri modo, sed & foeminae, non tantum in sago, sed & in toga id obtinuerit; quemadmodum aliqua superiùs allata id declarant exempla, quæ hic repetere nihil attinet.

§. XXII. Quoniam igitur in considerationem venit, quoniam Zonas usurparint pecuniarias, nunc porrò dispiciendum est, quomodo vel circa quam corporis partem ipsæ gestari consueverint? Siquidem Scriptores hic in diversas abeunt sententias, aliique è collo pendulas, alii circa lumbos vel ventrem gestatas fuisse putant. Nam, quod ad priorem attinet sententiam expressè negat Dempsterus ad *Rosini lib. II. c. IX. Antiq. Rom.* Zonas pecuniarias lumbos cinxisse, & probari potius contendit è collo pendisse ex Plauti *Truc. Act. V. Ubi est, quod tu das? solve zonas -- pecunia ad hanc collo in crumena obligata defero*: quæ tamen alii aliter in MSS. reperiunt. Eadem Fabula *Act. III. Sc. I.* legas: *Homo crumenam sibi de collo detrahit, minas vi-*

C

ginti

ginti dat, accipio libens &c. Ubi notat Taubmannus: Crumenam à collo pendentem gestasse Veteres, atque inde decollare, proprièque de marsupio dici, quod collo abest & perit. Epidic. Act. III. Sc. II. vers. XXIV. dicitur: *Ipse in meo collo tuus Pater crumenam collocavit.* Item in Asinar. Act. III. Sc. III. *Hic istam colloca crumenam in collo planè.* Quam in sententiam quoque ire videtur Conradus Dietericus apud Dilherrum in *Disput. Philol.*

§. XXIII. Ut verò rectius respondeatur ad hanc quæstionem, in primis modus cingendi probè attendendus est. At enim naturæ rei convenit maximè, ut ventrem & lumbos cingulo circumdatos fuisse statuamus: cum nemo non videat, sic arctius constringi potuisse vestimenta paulò laxiora. Quod etiam ipsæ picturæ & perpetuus ad nostra usque tempora usus docent. Hinc Scripturam S. tam frequentem lumborum præcingendorum mentionem facere putamus, ut in V. T. 1. Reg. XIII. 46. 2. Reg. IV. 29. Prov. XXXI, 17. Esa. XI, 5. Job. XXXIX, 3. Jerem. I. 7. Sic quoque in N. T. dicitur Luc. XII. 35. ἕσως ἀνὸς ὑμῶν ὁσ φῶες περὶ ζώσματα & Eph. VI. 14. ἑστῆτε ἐν περιζώσασιν ἰησοῦ ὁσ φῶς ὑμῶν ἐν ἀληθείᾳ Conf. etiam 1. Pet. I, 13. Unde Julius Pollux lib. VII. cap. XIV. Onomastici inquit: τὸ περιζῶσμα, περιζῶμα, ἢ περιζῶσον: *Vocarunt cincturam ventris, cingulum aut zonam;* & Antonius Nebriffensis pro certo supponit in Quinquagenâ, *Zonam esse cingulum seu semicinctium, h. e. quod è regione umbilici hominem cingat medium.* Cum itaque maximam partem Veteres ventrem & lumbos præcinxisse certum sit, usitatiores ipsis utique Zonas pecuniarias circa ventrem & lumbos, quam è collo pendulas fuisse credimus: (nisi velis dicere penduli à collo marsupii ligacula fuisse cingulo constricta: de quo est cogitandum amplius.) Hinc eadem Zona etiam dicitur *ventralis;* vel si subintelligatur cingulum, *ventrale,* in quo nummi condebantur, nimirum l. 6 ff. *de bonis damnatorum,* ubi rescribitur ab Hadriano: *Non enim bona damnatorum pannicularia significari, quis probè dixerit: nec si zonam circum se habuerit,*
pro-

1313

protinus aliquis sibi vendicare debet : sed vestem, quâ is fuerit
indutus, aut nummulos in ventrali, quos victus sui causâ in prom-
tu habuerit. Quamquam nos non lateat, diversam hic esse
lectionem & Callistratum pannicularia ea bona interpreta-
ri, quæ damnatus habet & modici sunt pretii promiscuique
usus, qualis est vestis, quâ indutus fuerit, aut *nummi in ve-*
terales, &c. quemadmodum etiam in Pandectis Florentinis
legitur. Verùm *inveterales* minùs rectè hic legi, dudum de-
monstratum est ab Alciato *Parerg. lib. I. cap. XL.* ubi men-
dam hic esse testatur, quæ non nisi præsidio antiquorum Co-
dicum corrigi possit, & posse pro *nummuli inveterales* legi
nummulos in ventrali, juxta Codices vetustos, intelligique
de his pecuniis, quas opifices in sacciperio habent, quod
insitum illis in semicinctii plagula, quam ante ventrem ge-
runt; unde & ventrale dictum esse, vulgoque simili voce
gremiale dici. Cum quo consentit Dionysius Gothofre-
dus *in Notis* ad h. l. quando inquit: *nummuli inveterales vul-*
gò & malè. Josephus Ant. Gons. de Salas in Petronii Saty-
ricon itemque Salmasius ad Pescennium Nigrum Lampridii
scribunt: *ligamenta & habenas cingula & Zonas habuisse, qui-*
bis circa ventrem cinxisse milites; & quia in medio sinum
habuerunt recipiendis nummis, ac propterea fundam retu-
lerunt, latinos etiam fundas dixisse; Græcos *κοιλιοδυσμον.*
Quod igitur Dempsterus statuatur Zonas illas è collo pendu-
las gestatas fuisse, id de omnibus omnium temporum gen-
tibus ac personis, probari posse meritò dubitamus: mi-
nimè tamen inficientes apud quosdam, diversis tempori-
bus obtinuisse morem gestandi crumenam è collo.

§. XXIV. Deinde etiam non negamus certis qui-
busdam temporibus & apud quasdam nationes milites bal-
theos suos per humerum & pectus obliquo ductu penden-
tes, atque in ipsis quoque, quibus dependebant gladii, pe-
cuniam habuisse: quemadmodum contendit Wowerius ad
Apollinaris Sidonii *epist. XX. lib. IV.* Cujus verba sunt: *Erat*
autem varii usus cingulum militibus, tum ad suspensionem gla-
dii, tum ad custodiam æris militaris, quod in baltheis gerebant.

Verùm ut statuamus, apud omnes populos, omnibus temporibus ac locis, vel baltheos ex humero obliquè pendulos; vel in hisce tantum crumenas reconditas fuisse, nulla ratione firmâ inducimur. Licet vel maximè enim baltheos ex humero dependentes gestarint: non tamen facile quisquam negaverit & aliis usos fuisse Zonis; ac fortè illud ipsum ventrale vel lumbare cingulum baltheum per pectus & humerum obliquè pendulum unâ cum reliquis vestimentis potuit constringere.

§. XXV. Sed ulterius quæritur: quomodo pecunia in Zonis gestari consueverit? an in Zonis inclusa? an verò in marsupio ad Zonam alligato & sic de Zona pendente. Brugensi teste Polo in *Matth. X. 9.* utrumque placeat; id, quod etiam videmus in Taubmanno ad *Trinum Plant. Act. IV. Sc. II.* scribenti: *Antiquitus aut in Zonis as gerebant, vel certè crumenas in Zonis propendentes, quales inter suos Armoricos frequentes esse Langleus profitetur.* Alii tamen non in Zonis, sed potius in Marsupio Zone affuto vel quocunque modo affixo pecuniam fuisse asserunt. Hinc Britannicus in *Juven. Sat. XIV.* inquit: *Zonam quidem cingulum esse, sed tamen, sive quod ad zonam crumenam alligabant, sive quod latiore in dextro uterentur, cui affuta & clavibus affixa erat scortea crumena, factam esse, ut Zona pro crumena usurpata sit.* Atque huic sententiæ patrocinari aliquo modo videtur, quod olim Mercurius cum facello seu sacculo pictus fuerit, teste Rosino *lib. II. cap. IX. Antiq. Rom.* quem interpretatur Demosthenus in h. l. *marsupium è Zona pendulum recondenda pecunie.* Et paulò post addit: *neque enim in manu illa, ut imperitissimus quidam affirmavit, sed è cingulo propendens, in qua antiqui pecunias suas circumferebant.* Alphonlus Tostatus in *cap. X. Matth. quæst. LX.* *Consuetudo, inquit, est, ut bursa denariorum de Zona pendeat.* Quam sententiam clariùs explicat Antonius Nebrissenis in *Quinquagenâ cap. L. ad Matth. X. 9. & Marc. VI. 8.* sic scribens: *Quid sibi vult, quod Evangelistæ scribunt, pecunia, sive as in Zona? aut quomodo pecunia in Zonis comportantur? nisi forte ut nos Hispani*

ni consuevimus marsupia illa Zonis appendere, quæ pastores appellat escaria, quod in illis deferre solent annulos ferreos, siices, ignis escas, h. e. fungos aridos, & fomitem, unde scintilla excussa rapit flammam: nos verò non tale cingulum, sed scorteam sacculum intelligimus, qui pecuniis impositis cingitur & procinctu potest esse usui & viatico importando. Tales sacculi ex corio me puero erant, quo tempore non tam frequentes aurei & argentei nummi versabantur, sed ærei magna ex parte, quo viatores cincti faciebant iter, in eo viaticum deferentes, h. e. pecunias ad sumtus viaticos,

§. XXVI. Verùm si Scriptores istos consulamus, qui hujus consuetudinis fecere mentionem, quosque supra adduximus, posteriorem sententiam priori fermè reddunt probabiliorem: quippe qui ex conspiratione quasi dicunt, vel Zonas pecunia plenas, item auro monetali refertas; vel de Vitellio Zona aureorum plenâ se circumdante; vel, alios in Zonis pecuniam habuisse sive gestasse. Si verò crumenæ Zonis attextæ seu alligatæ fuissent, sine dubio Scriptores illi stylum aliter formassent. Adhæc etiam non pauci eandem sententiam amplectuntur & verbis explicant clarioribus. Grapaldus de partibus adsum lib. II. cap. VI. opponit morem sui temporis ac nationis, quæ crumenas ad Zonas alligare solebat, antiqvæ consuetudini ac scribit: *vestimenta ipsa ad corpus ferè omnia Zonis adstringimus, in quibus aurum & pecuniam portarunt antiqui &c. Ad has nostri, pergit paucis interjectis, marsupia, folles, pasceolos & crumenas scortecas argentove & auro intertextas ad numismata portanda appendunt.* Sic Maldonatus in Matt. X, 9. crumenas in ipsis Zonis olim fuisse testatur. Nec dissentit Musculus, qui in eundem locum, *castrensem locutionem esse, ait, sumtam à militibus, qui pecuniam in Zonis gestabant.* In hanc sententiam quoque abit Jansenius, dum in l. c. *Christum juxta veterem morem loqui, dicit, quò pecunia ab itinerantibus & maxime à militibus solet deferri in Zonis, h. e. in cingulis.* Geminam quoque fovet Walerus de antiquis nummis Hebr. lib. I. cap. XIV. ubi citat locum Matt. X, 9 & scribit: *Zonas pro crumenis tanquam pecunie repositoriis à Veteribus passim usurpatas le-*



gi & Syriam per crumenas expressisse. Et lib. I. cap. XLX. etiam hanc rationem adducit, quare Syri τῆ βαλαντίῃ crumena vocem Luc. XII. 33. reddant usitatore voce זוןיס à סין Hebræorum; eademque Zonæ vocem exprimant Matt. X. 9. & Marc. VI. 8. quod nimirum Veteres in Zonis nummos recondere soliti sint, additque: unde in locis illis pro εἰς ζώνας, vel τῆν ζώνην, videri legendum ἐν ταῖς ζώναις sive ἐν τῇ ζώνῃ, sub intellecto verbo gestandi κομίζεσθαι, per Enallagen & Ellipsin Scripturæ usitatas. Cum quo consentit Jo. Drusius, qui in Matt. X. 9. εἰς τὰς ζώνας, vertit, in Zonis vestris; & addit: in Zonis pecuniam reconditam Veteres gestabant. Vid. quoque Piscator in h. l. ut & Scultetus Observ. in Matt. cap. XXX. Gonsalvus in Petronium & Salmasius in Pescennium Lampridii asserunt, in medio Zonarum fuisse receptaculum, quo nummi continebantur, ut sinum in funda, quo lapides collocabantur; & quoniam fundam referebat, Zonam vocatam fuisse ab Antiquis fundam. Unde Macrobius: cum accessisset ad sellam, demissa in pauperem fundam manu paucos denarios protulit, quos principi daret. Hinc rezonare apud Nonnium idem esse ac de sacciperione promere putat Salmasius. Quæ sanè sententia præ altera illa videtur eligenda: sic tamen ut quandoque vel apud certas gentes vel apud unum atque alterum sibi placentem id variaverit. Si quidem non negamus modum varium esse potuisse, quemadmodum etiam hodiè pro cuiusvis arbitrio fit; & quosdam militiam non secutos forsan bulgam, in qua recondita erat pecunia; vel Zonæ affixam & propendentem gestasse; vel ab humeris dependentem, ut Masculus vult, qui in Matt. X. 9. scribit, milites, pecuniam in Zonis habuisse; alioqui vulgò gestatam esse ab humeris bulgam aliquam. Verùm an sic pecunia in Zonis gestata rectè dici possit, meritò dubitatur.

§. XXVII. Tandem aliquid etiam notandum. censemus circa ipsam pecuniam, qualis in Zonis olim recondita fuerit? Alphonfus Toftatus in Matt. X. Quæst. LX. pecuniam constituit duplicem unam; quæ quasi in thesaurum, vel

vel ad alia tempora reponatur & conseruetur : alteram
 quæ ad quotidianas sit expensas. Et hanc quidem tantum
 in Zonis gestari solitam videtur affirmare : *in Zona*, inquit,
habetur pecunia in promptu ad expendendum. Atque in specie
 dicti *Matt. X* sensum esse dicit : Christum prohibere, ut Apo-
 stoli, neq; alicubi aurum vel argentum habeant; neq; saltem
 minutos & paucos denarios in Zonis. Pro qua sententia ad-
 struenda facere videtur, quod Marcus voce *χαλκός* utatur,
 per quam quis pecuniam tantum minutam intelligere pos-
 set. Quemadmodum etiam Ulpianus loco supra laudato
 tantum nummularum facit mentionem illorum, quos ali-
 quis victus sui causa in promptu habuerit. Verum ex su-
 pra dictis ad oculos patet, non pecuniam tantum minuti
 æris, sed etiam majoris ponderis in Zonis fuisse gestatam.
 Quod ad Marcum attinet, licet is æris tantummodo men-
 tionem faciat, non dubium tamen est, quin generali voca-
 bulo omnem monetam complecti voluerit. Hinc Brugem-
 sis & Piscator vocabulum *χαλκόν*, reddiderunt pecuniam,
 five ex ære, five auro, five argento; in qua significatione
 etiam apud Julium Pollucem sumitur *lib. IX. cap. I.* Unde
 firmum manet non solum viaticum & pecuniam minuti æ-
 ris, sed etiam crassio rem monetam & res pretiosiores à qui-
 busdam in Zonis gestari consuevisse : licet prius forte cre-
 brius factum facile quis credat; atque propterea Christum
 I. c. interdixisse discipulis tum possessionem thesaurorum,
 tum viatici, ut scilicet omni sollicitudine expediti pende-
 rent à DEO, unice Evangelio infisterent & exemplo con-
 temtus terrenorum omnes ad Christum traherent, quemad-
 modum Menochius interpretatur. Atque hæc sunt, quæ
 circa Zonam pecuniariam & ritum in Zonis pecuniam
 gestandi, à nobis in his talibus nondum satis
 exercitis dici poterant : quibus faventem
 precamur Lectorem.

PRÆ-

PRæsidis aggredieris munus, Tibi præmia
Jova

Donet, quæ nullo sunt peritura die.

*Clarissimo Dn. Cultori Theologiae solertissimo, &
Amico suo honoratissimo pro cathedrâ supe-
riori difuturo feliciter adclamabat*

M. JOH. Weisse, Phil. Adj.

DUM Zonam Veterum calamo nunc solvis, honorum
Zonas de merito necit Apollo Tibi.

Imō, f.
M. JOH. ANDR. Schmid / Adjunct.

Λυσιτελεῖ τῶν γηραιῶν ταξεῖς ἀναπύσσει,
Σπευδαίως! σὸν δὲ ὀπόθεν, μετάνοια παρέξει
Πραῖμα Σέθεν, τῆ γλωσσοκόμῃ ἐν ἴσ' ὑπαγορεύεις
Ἰσορείαν; μᾶλλον δὲ πόνον τοῖσ' αὐτοῖς ὀμαρῆσι
Γλωσσοκόμου χερσῶν τε χάρις τῶν Κηδεμονικῶν.

*Hos Clarissime Domine M. Praeses laborum tuo-
rum fructus, DEUM propositum, Patronos
benevolos ac crumenam bene nummosam
εὐλοφύχως TIBI apprecor*

M. ULD. HEINSIUS, Fac. Phil Adj.

ERGO tibi Veterum curæ est Nummaria Zona?
Cur? eam Apostolicos Christus habere vetat.

Sic igitur fidus Pastorum munia comples,

Quæis vacua argento Zona placere nequit.

Omen inest rebus. Te laus æterna manebit,

Qui Pastor Christi verba tenere voles.

Excute quos habuit Nummaria Zona recessus,

Quæis multos nummos semper inesse velim.

*Clarissimo Dn. M. Praesidi, Amico
estimatissimo boni ominis ergo
scribebam*

M. Johannes Fridericus Dürrius.

F I N I S.

1017
Mat

1296.



KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak LICENSED PRODUCT

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches

Centimetres

JOHANNES
 M. JOHANNES
 Königlicher
 M. JOHANNES
 Dissertation

